

/99v/ .xl.iiii. OMELIA . IN NATALE SANCTI IOHANNIS BAPTISTAE .

AD ín luminandum humanum genus quod per in`uidiam´ diaboli perierat .

scire et intelligere debemus dilectissimi fratres . quia dominus et sal-

uator noster multas lucernas accendere dignatus est in

mundo . Primum patriarchas . Deinde prophetas . inter quos

maxime sanctus iohannes sicut sol inter omnia sidera clarior lucet

in caelo . Ita maior spiritu prophetie . apparuit in mundo .

/100r/ qui primus baptista fuit ín mundo et precursor domini . qui natus

est transactis annis ab origine mundi . quinque milibus centum

nonaginta octo et mensibus sex . Octauiano<sup>1</sup> imperium

mundi tenente qui secundus imperator de romanis fuit . Reg-

nauerat enim ante eum Iulius cesar . qui primum abstulerat

regnum a grecis . Inde igitur acceperunt romani imperium

mundi . et ille quidem octauianus<sup>2</sup> omnes partes terre

primus scire uoluit . et prouincias . et linguas . et ciuitates .

et postea habitatores ponere in eis et censum . In cuius

quidem diebus . natus est iohannes . baptista . qui antequam

in utero conciperetur predictus quidem fuerat parentibus

suis . ab angelo nuntiante ad zachariam patrem eius in templo .

sicut euangelista explanat dicens . Ingressus est zacha-

rias in templum domini . ut incensum poneret . Id est adorari

circa altaria dei . Et ecce angelus domini apparuit illi . stans

a dextris altaris incensi . Et dicebat ei . ecce euangelizo

tibi . quia filium habebis . et uocabis nomen eius iohannem .

Et erit tibi gaudium magnum et exultatio . et multi in na-

tiuitate eius gaudebunt . Erit enim magnus coram domino .

et uinum et siceram non bibet . sed spiritu sancto replebitur dum fue-

rit adhuc in utero matris sue et multos filiorum israel con-

---

<sup>1</sup> Octauiano] *corr. from* Octouiano

<sup>2</sup> octauianus] *corr. from* octouianus

uertet ad dominum deum ipsorum . Ipse enim preibit ante illum in spiritu et uirtute helie . ut conuertat corda patrum in filios . et in credulos ad prudentiam iustorum parare domino plebem perfectam . Et zacharias hec audiens turbatus est . et timor irruit super eum . et mirabatur<sup>3</sup> dicens . Vnde hoc sciamur . Ego enim iam sum senex ; et helisabeth processit in diebus suis . Et respondens ad eum angelus dixit . Ego sum gabriel archangelus . /100v/ qui cotidie assisto ante deum . Et hec missus sum loqui ad te et ibi euangelizare . Sed eris tacens et non poteris loqui . usque in diem quo haec fiant . pro eo quod non credidisti uerbis meis . que quidem inplebuntur in tempore suo . Sed dum hec sibi inuicem conloquerentur . Erat omnis multitudo populi foris expectans zachariam . et mirabantur . quod ipse moraretur in templo . Quod postea sic factum est . intrauit quidem zacharias tacens in domum suam . Et concepit elizabeth filium in senectute sua . et peperit eum iuxta tempus pariendi . Et audierunt uicini et cognati eius . quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa . et congratulabantur ei . Et uenerunt octauo die circumcidere puerum . et uocabant nomine patris sui zachariam . Et dixit mater eius . Nequaquam . sed uocabitur iohannes . Et dixerunt ei . Nemo est in cognatione tua qui uocetur hoc nomine . Innuebant autem patri eius . quem uellet uocari eum . et postulans pugillarem . scripsit dicens . Iohannes . nomen eius . Et mirati sunt uniuersi consensum amborum parentum . de nomine pueri . Et apertum est ilico os zacharie et lingua eius . et loquebatur recte . benedicens deum . Et posuerunt omnes qui audierant omnia uerba hec in corde suo dicentes . Quid putas puer iste erit? Ac si dicerent . Magnus enim erit coram domino . et gratia eius fiet in eo . Et zacharias pater eius statim impletus est spiritu sancto . et prophetauit dicens . Benedictus dominus deus israel . quia uisitauit

---

<sup>3</sup> mirabatur] *corr. from* mirabantur

et fecit redemptionem plebis sue . Puer autem crescebat et confortabatur in spiritu prophetie . nimirum . gratia enim dei erat cum illo . Hodie igitur natalem sancti iohannis fratres<sup>4</sup> karissimi diem celebramus ac ueneramur . quod nulli umquam sanctorum legimus fuisse concessum . Solius enim domini . et beati iohannis dies natiuitatis /101r/ in uniuerso mundo celebratur et colitur . Magnus est igitur uir fratres karissimi . cuius dies natiuitatis sicut natale domini ab omni ecclesia celebratur et colitur . Quod nulli patriarcharum . nulli prophetarum . nulli apostolorum . nulli sanctorum meminimus esse attributum . Magnus est ergo sanctus iohannes et egregius . de cuius magnitudine et excellentia etiam saluator testimonium dulcedinis perhibet dicens . Non surrexit inter natos mulierum maior . iohanne baptista . Antecedit enim prophetas . supergreditur patriarchas . eminet uniuersis . precellit cunctos . et quicumque de muliere nascitur . inferior est iohanne . Sed fortasse aliquis dicit . Si inter natos mulierum maior est iohannes . maior est saluatore? absit hoc credi . a fidelibus . Iohannes enim natus est mulieris . Christus autem uirginis . De cuius excellentia iohannes perhibuit testimonium dicens . Me oportet minui illum autem crescere . Et iterum . Quod post me uenit ante me factus est cuius non sum dignus corrigiam calciamenti eius soluere . Haec autem dixit . ut humiliaretur homo qui est iohannes . et exaltaretur christus . qui est deus . Et ideo natus est iohannes . eo die quo incipiunt decrescere dies ut humiliaretur homo . et eo die natus est christus quo incipiunt crescere dies ut exaltetur deus . Quare autem beatum iohannem dominus et saluator noster lucernam esse dixerit? et quare eum ante se mitti uoluit<sup>5</sup> . Nunc si iubetis caritatis uestre auribus breuiter intimabo . Premissus est enim iohannes ante dominum . uelut uox ante uerbum . Filius enim dei uerbum dicitur . et uerbum caro factum est : et habitauit in

---

<sup>4</sup> fratres] *corr. from* fratris

<sup>5</sup> *Two to three letters are expunged after this word.*

nobis . Et sicut aurora ante solem . prece ante regem  
seruus ante dominum . Amicus ante sponsum . nuntius ante principem . Fulgur ante tonitruum . Et ideo beatus  
/101v/ iohannes quasi lucerna premittitur . quia per uniuersum mundum peccatorum tenebre et nox infidelitatis homines expresse rant . et solem iustitię aspicere non ualebant . ut oculi cordis qui lı́mphantudine iniquitatis oppressi . Magnum et uerum lumen uidere non poterant . ad lumen lucernę primo quasi tenuem splendorem uidere . consuescerent . et paulatim peccatorum tenebris remotis . adueniente qui est uerum celeste lumen letificari possent potius quam retorqueri . Nisi igitur prius beatum iohannem uelut lucernam premitteret . Claritatem eius totus mundus sustinere non potuisset . Premittitur igitur sicut nuntius ante principem . sicut dominus per prophetam loquitur dicens . Ecce mitto angelum meum . ante faciem tuam qui preparabit uiam tuam ante te . Uox erat ante uerbum . qui uerbi dei spiritu replebatur . De quo dicebat . Ego uox clamantis in deserto . dirigite uiam domini . rectas facite semitas dei nostri . et frequenter dicebat populis iudeorum . Poenitentiam agite . adpropinquauit enim regnum celorum . Consideremus autem attentius fratres karissimi . quia nobis omnibus dicitur poenitentiam agere . de omnibus peccatis . preteritis . presentibus . et futuris . Poenitentia enim uera est preterita deflere . presentia non admittere . futura cauere . De qua poenitentia dominus dixit . poenitentiam de peccatis uestris facite . et postea recipiam uos ad me ipsum . Nos ergo fratres karissimi . ut tam sanctam festiuitatem non solum corporali sed etiam spiritali gaudio celebrare possimus . secundum uires nostras ad aelimosinam et ad tenendam cum omnibus pacem nostros animos preparemus . et ab omni iracundia uel malitia . ab omni scurilitate et turpiloquio . ab omni ebrie

/102r/ -tate et luxuria non solum nosmetipsos . sed omnem familiam  
nostram et uniuersos ad nos pertinentes . pro amore dei et zelo  
sanctę disciplinę prohibere totis uiribus . laboremus . Non permit-  
tamus sanctam solemnitatem beatissimi iohannis . cantica luxu-  
riosa proferendo pollui . Tunc enim sanctus iohannes quicquid pro nobis  
petierit obtinere poterit . si nos festiuitatem suam sanctam .  
pacificos . castos . sobrios . et iustos absque ullo<sup>6</sup> turpiloquio .  
cognouerit cęlebrare . Haec ergo fratres karissimi pro paterna  
sollicitudine suggero . Nam deo propitiante ita de uestra de-  
uotione confido . quod non solum uos sed etiam omnes qui ad uos perti-  
nent cum omni honestate castos . sobrios . et pios . custo-  
dire curatis . Vnde deo gratias agens supplico . ut qui uobis  
dedit ea quę sancta sunt incipere . Concedat uobis felicem  
perseuerantiam usque ín finem custodire . et mentibus semper ín cę-  
lestibus habitare cum christo . Qui cum patre et spiritu sancto  
uúúit et regnat . per ínfinita secula seculorum . Amen .

---

<sup>6</sup> ullo] *erased letter before o*